



F^{ranciscus ex honesta familia apud Saxones natus, & in omni genere uirtutū educatus est. Is cum felici ingenio esset praeitus, à teneris annis artium & linguarum cognitioni operam dedit, & in ijs plurimū promouit. Inde iurisprudentiae incubuit, & leges ciuiles sibi admodū familiares reddidit. Huic eruditioni quoque uitæ integratatem & raram eloquentiam cōiunxerat. Itaque factum ut Saxoniæ elector liberali stipendio eum ad se euocarit, suum Cancellarium constituerit, & res magnas hinc inde expedire iussent. Vnde cum Heinricus Angliæ rex Annam Cliensem uxorem duxisset, Saxo, qui sponsæ sororem matrimonio habebat,}

hunc Franciscum cum Iohanne Dulcio in Angliam misit, ut regijs nuptijs interesset, atque etiam religionis statum inspiceret, mense Nouemb. 1539. Is cum se quenti anno domum rediisset, 7 Martij Smalkaldiae comparuit, & confœderatis indicauit, quomodo religio in Anglia esset ordinata. Postea quoque cum 1541 Ratisbonæ Cæsar comitia ageret, & doctorum virorum colloquium instituisset, hunc Burckartum reliquis testimonij causa adiunxit, nam dignus eius erat, cui tata prouincia iniungeretur. Itaque factum, cum Cæsari gratus esset, ut Protestantes hunc Franciscum 1543 Spiram ad Cæsarem Legatum miserint, atque cum eo transigere uoluerint. Nec ipsa spes fefellit. Nam Saxonie elector in ijs comitijs per Burckartum cum Ferdinandicis egit & antiquis offensionibus sublatis, cum eo in gratiam rediit. Hoc modo contigit, ut Franciscus ob rerum usum, & multas animi & corporis uirtutes, apud Saxones in magna existimatione fuerit. Ioan. Sleid.